



ELTE BTK
ÓKORTUDOMÁNYI INTÉZET LATIN
TANSZÉK ARPINÓI NEMZETKÖZI
CICERO-VERSENY HAZAI
VÁLOGATÓJA



<http://abeljeno.elte.hu/arpino/>

**Numa Pompilius, Róma második királya békére szoktatja a
hadakozásban elvadult rómaiakat**

Ac primum agros quos bello Romulus ceperat, divisit viritim civibus, docuitque sine depopulatione atque praeda posse eos colendis agris abundare commodis omnibus, amoremque eis otii et pacis iniecit, quibus facillime iustitia et fides convalescit, et quorum patrocinio maxime cultus agrorum perceptioque frugum defenditur. Idemque Pompilius et auspiciis maioribus inventis ad pristinum numerum duo augures addidit, et sacris pontifices praefecit, et animos propositis legibus ardentis consuetudine et cupiditate bellandi religionum caerimoniis mitigavit, adiunxitque praeterea flamines Salios virginesque Vestales, omnesque partes religionis statuit sanctissime. Sacrorum autem ipsorum diligentiam difficilem, apparatus perfacilem esse voluit; nam quae perdiscenda quaeque observanda essent, multa constituit, sed ea sine inpena. Sic religionibus colendis operam addidit, sumptum removit, quibus rebus institutis ad humanitatem atque mansuetudinem revocavit animos hominum studiis bellandi iam immanis ac feros. Sic ille cum undequadraginta annos summa in pace concordiaque regnavisset – sequamur enim potissimum Polybium nostrum, quo nemo fuit in exquirendis temporibus diligentior –, excessit e vita, duabus praeclarissimis ad diuturnitatem rei publicae rebus confirmatis, religione atque clementia.

Eredmények 2024. január 31-től a <http://abeljeno.elte.hu/arpino/> honlapon!